

† R. P. Iosephus Schweler (1874-1954)

(Prov. Germ. Inf.)

Confrater defunctus ipse magnam reliquit autobiographiam 400 paginarum *in-folio*, ubi initio protestatur nullum se verbum scripsisse ad aucupandas sibi laudes hominum, sed omnia dici « in laudem gloriae gratiae » Dei (cf. Eph. 1, 6); quare manuscriptum inscribitur: *Mein Leben im Lichte der Gnade*. Inde R. P. Franciscus X. Borchert compendium fere 10 paginarum confecit et nobis Romam misit. Ecce praecipuus huius necrologii fons.

Qui in ultimo Catalogo anni 1948, pag. 443, illam sesquilienam legerit: « Schweler Iosephus, n. Wiese-Gräflich, d. Vratislaviensis, Breslau, 15.2.74, pro. 3.9.00, sa. 11.6.98. - Br. » certe non potest suspicari vere giganteam magnitudinem huius sodalis adeo eminentis, et sub multiplici quidem respectu. Quo tempore Catalogus ille conficiebatur, P. Schw. extra Provinciam suam degebat inter confratres Polonos, et communicationes inter Poloniam ac Germaniam erant interruptae; secus saltem, iuxta methodum receptam, haec addita fuissent: « rect. 21 a., cons. 22 a., min. 2 a., sacellanus Thaumaturgae Warthensis 35 a. ». Haec ipse nobis scripsit 31.8.49! Et in pag. 718 eius nomini addendum fuit: « Dr. theol. Univ. Vindob. ».

P. Schw. in longa sua vita praedicavit missiones ac renovationes 143, exercitiorum spiritualium cursus 575 (64 cursus Sororibus a S. Elisabeth, 55 cursus Sororibus a S. Maria), alios labores saltem 3 dierum 202. Eius conciones particulares sunt vere innumerabiles, neque unquam eandem concionem bis habuit.

Idem publici iuris fecit 25 opera maiora, praesertim indolis historicae, scilicet vitas dilecti sui magistri prof. H. Lämmer (p. 482), P. Augustini Rösler (p. 660), sac. H. Hübner (p. 130), e familia nobili Stolberg-Stolberg comitissae Agnetis (p. 384), comitissae Eleonorae (p. 224), comitis Bernardi e S. I. (p. 292), Sor. Mechtildae comitissae Schaffgotsch-Greifenstein (p. 328), Matris Mariae a S. Philomena baronissae Stransky (p. 211), Matris Sophiae Watteyne (p. 138), Matris Mariae a S. Petro comitissae Coudenhove (p. 209). Fuit insuper historiographus Institutum femineorum Silesiae, nempe Sororum a S. Hedwige (p. 546), Sor. a S. Maria (p. 456), Sor. a S. Elisabeth (2 vol. p. 296 et 590), domus a Charitate (p. 87). Huc accedunt circ. 30 commentationes theologicae.

Verum, lector carissime, audi et obstupesce! Idem scriptor adeo fecundus reliquit alia 52 opera manuscripta, velut: *Die Geschichtsphilosophie des hl. Alfons* (p. 404), *Fidelis sacerdos* (p. 303), *Religiosus fidelis* (p. 303), *Christliche Geschichtsphilosophie* (p. 1112)... Horum tamen manuscriptorum 26 forte interiere in eventibus notis statim post ultimum bellum.

Per se patet quod quantitas operae litterariae adeo exorbitans facile qualitati nocebat. Si v. g. vita Patris Rösler loco 660 paginarum haberet tantum 200

vel 300, certe melior et lectu iucundior esset. Scriptor P. Schw. est casus unicus in nostra historia. Computatis etiam manuscriptis, extensione superat, ni fallimur, ipsius S. Fundatoris opus litterarium. Et procul dubio ipse quoque « nil censura ecclesiastica dignum » scripsit; omnia sunt dicta a viro fidelissime cum Ecclesia sentiente; omnia pura, sancta, vera. Permultae quoque paginae sunt lectu iucundissimae, utpote narrantes facta historica eousque ignota. Superiorum autem est determinare, quid de manuscriptis faciendum.

Sicut in scribendo P. Schw. per quemdam excessum peccasse videtur, ita etiam in sacra praedicatione. Quondam in studentatu Geistingen praedicavit annua exercitia, quater in die loquens, potius « ex tempore », per horam vel sesquihoram, sed ad auditores potius stomachosos quam admirabundos!

Attamen vir tam actuosus minime erat infectus « haeresi actionis », negligens vitam contemplativam; immo etiam in oratione P. Schw. fuit admirabilis. Non contentus tot orationibus nobis a Regula praescriptis cotidie addebat binas alias coronas Rosarii, recitans sic totum Psalterium Marianum, item fecit Viam Crucis, item fere innumeras visitationes SS. Sacramenti; iaculatoriae autem precatiunculae erant quaedam scintillae quasi sine intermissione diu noctuque ex eius inflammato corde erumpentes. Nunquam, ne in missionibus quidem, volebat uti privilegio permutandi breviarii, et cum quodam die ob defectum lucis et infirmitatem oculorum a Superiore dispensatus esset, eo die recitavit sex (!) coronas, et postridie etiam integrum Officium diei praecedentis!

Sed tempus est ut breviter enarremus nostri herois vitam octuagenariam. Familia Schweter pertinet ad illos colonos Germanos, qui in Silesiam aetate media induxerunt fidem et culturam christiani Occidentis. Pater Ioannes erat agricola, nec pauper nec dives. Ab eo Iosephus « sentimentalem » illum affectum pietatis hereditate accepit potius quam a matre Teresia Walke, femina energica, prodigiosae memoriae, mire actiosa et constanti. Sol huius familiae erat genuina pietas. Tempore Adventus et mense Octobri Rosarium cotidie in communi recitabatur. Quinque filii et una filia fuere fructus huius matrimonii.

Iosephus in hunc mundum venit Dominica Quinquagesimae 15 Febr. 1874. Circa illud tempus paroecia Langenbrück-Wiesegräflich propter *Kulturkampf* suo pastore orbata erat per sexennium; multoties igitur puerulus cum pientissima genitrice in oppidum Neustadt, distans 4,7 km., se contulit ut Missae aliisque exercitiis interesset. Eandem viam annis 1885-1894 fere cotidie carpebat alumnus gymnasii humanistici.

His studiis mediis optime absolutis immatriculatur in Universitate Bratislaviensi, in Facultate philosophico-theologica. Inter eius professores adhuc magna fama gaudent Hugo Laemmer et Ernestus Commer, et utriusque vitam Iosephus noster scripsit. Praelati Laemmer vitam nunc legentes, eam reperimus pulcherrimam et confratribus enixe commendamus. A. 1896 studia philosophiae absolvit summa cum laude; item victor exiit ex illo certamine litterario, ineunte eodem

anno indicto, cui propositum erat hoc thema: *De arte historiae philosophica a magno Ecclesiae Doctore Augustino, principe omnium, excogitata et perfecta*. Quae adolescens 22 annorum tunc latino sermone (!) exaravit, ea postea ab Universitate Vindobonensi libentissime pro thesi doctorali acceptata sunt.

Cursus universitarius totus futurorum sacerdotum tum complectebatur non nisi 4 annos, quorum ultimus transigebatur in Seminario episcopali. Sacerdotii characterem indelebilem Iosephus noster in anima egregie praeparata recepit d. 11 Iun. 1898, et per 56 fere annos admirabili sedulitate eum fecit fructificare pro Domino et Ecclesia. Ex his annis solos primos 14 menses in saeculo vixit, cappellanus in Sagan; iamdiu enim cogitabat de via consiliorum evangelicorum capessenda, et in nostra quidem Congregatione, quamquam nunquam Redemptoristam viderat. Deus ad eum alliciendum usus est duobus libris in bibliotheca Seminarii repertis, epistulis S. Alfonsi et historia Congregationis Austriacae a P. Carolo Mader egregie conscripta.

Quo tempore neomysta Iosephus Schw. erat novicius in Eggenburg, Magistro Servo Dei Gulielmo Janauschek, Congregatio nostra in Silesia recepit primam suam sedem, sanctuarium Wartha (hodie Bardo Śląskie), et P. Schw. a Deo destinatus erat scribendae multipliciter eius historiae eique per 4 decennia ministeria sua sacerdotalia praestando, ita ut « Apostolus Warthensis » a multis vocaretur (1).

Iam brevi post professionem (3.9.1909) Wartham missus est, saltem per aliquot menses; nam Superiores nostri morem gesserunt consilio professoris Laemer et iusserunt iuvenem P. Schw. studia cumulare doctoratu theologico. Sicut in aliis campis, ita etiam in hoc negotio Iosephus noster fuit « vir admirabilis » et aegre imitandus. Etenim ne integrum quidem biennium insumpsit ad hanc metam summa cum laude assequendam, iungens cum studio multiplicem activitatem apostolatus. Die 4 Oct. 1901 venit in Wien-Hernals, ubi teste P. Blum laborabat in ecclesia fere ut alii Patres communitatis, et iam 22 Aug. 1902 Wartham revocatus est in tempus indeterminatum, cum ibi Patres Germani, unice a Gubernio admissi, labore opprimerentur. Nihilominus optime probatus est in 4 examinibus « rigorosis » binarum horarum ac 12 Iun. 1903 promotus est Dr. theologiae. P. Generalis M. Raus, qui casu Vindobonae erat, tunc ei dixit: « Exhinc mihi educa Patres humiles doctosque »; verum P. Schw. nunquam quod desiderabat tantopere, in longa sua vita potuit exsequi et in studentatu disciplinas theologicas tradere, ostendens etiam hac in re virtutem suam haud communem. Peculiari autem gaudio eum affecit novum diploma doctoratus, quod Universitas Vindobonensis ei paulo ante mortem via diplomatica transmisit in aureum doctoratus iubilaeum. Eum Almae Matri magno honori fuisse ait tot suis scriptis egregiis.

(1) De hoc Sanctuario cf. *Analecta* XV (1936), 165-169.

P. Schw. usque ad a. 1918 pertinebat ad Provinciam Austriacam, et haec semper eius « primus amor » mansit. Cum vero domus Silesiae post primum magnum bellum Provinciae Germ. Inf. ascriberentur, ipse quoque eius sodalis evasit usque ad vitae finem, semper tamen vivens in domibus Germaniae orientalis, praesertim Warthae. Ultimos novem annos vixit inter sodales Provinciae Polonicae, quae inde a medio a. 1945, ut omnes sciunt, administrationem domorum Vice-Provinciae de Breslau suscepit.

Die 31.8.49 P. Schw. nobis scripsit: « Dominus prope est; gaudeo ». Qua in re erravit sicut S. P. N. Alfonsus; nam eius incolatus prolongatus est per alios 4 annos cum dimidio. Ita 15 Febr. 1954 complere potuit patriarchalem aetatem 80 annorum, sui plane compos, qui tamen eventus celebrari non potuit, cum senex ob renum ac vesicae infirmitatem in nosocomium portandus esset. Ibi, accedente pneumonia, inunctus est Olio Sancto. Revera « prope erat Dominus »; ille vero id hac vice nesciebat et confratres sibi invigilare per noctem volentes rogavit cubitum ire. Sic in praesentia solius Sororis nosocomiae d. 17 Februarii, paulo ante mediam noctem, in pace Christi efflavit animam, absque dubio meritis mire onustam.

Iam in vita P. Schw. fruebatur certa fama sanctitatis. Cum a. 1904 Warthae notitia spargeretur aliquem e Redemptoristis (agebatur de S. Gerardo nostro) ad Sanctorum honores elevatum esse, aliquot piae feminae dixerunt: « Certe alius non est nisi noster P. Schweter! ». Quidam sacerdos, qui circa idem tempus apud iuvenem P. Schw. confitebatur, post multos annos, interim alibi parochus factus, eundem invitavit ac suis paroecianis proposuit dicens: « Hic Pater est vir sanctus, et penes eum confiteri debetis existimare honorem ac gratiam peculiarem. Equidem quasi per 40 annos eo confessario utor ». Quodsi haec fama sanctitatis manet, immo crescit, quis scit, quo bonus P. Schw. perventurus sit?

Interim duo nobis certa esse videntur. Primum, quod P. Schw. revera fuit quoddam *vas electionis*, insignis gloria Instituti, cui nemo veritatis amans profundae venerationis et admirationis tributum negare potest; quod autem suae familiae religiosae, plurimorum exterorum, sive sacerdotum sive religiosorum sive laicorum, admirationem ac venerationem lucratus est, iam est factum historicum, quod clare apparuit in variis eius iubilaeis et in eius funere frigidissimo illo die 20 Februarii a. c.

Alterum est, quod P. Schw. ex una parte quidem a Creatore absque suo merito quinque talenta recepit, sed idem in tota sua longa vita admirabili sedulitate ac constantia alia quinque superlucratus est. Proinde non est dubium, quin a supremo Iudice audierit dulcissima illa verba: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui* (Mt. 25, 21).